

*ribus* proindeque [Aug. in Enchirid. ad Laur. c. 44. pag. 75. Tom. 3. & Lombard. lib. 2. sentent. dist. 33. lit. e. ad hoc Davidis dictum applicarint hanc regulam: *Mos Scripturae est, ut res una quandoque pluraliter efferatur*: tamen textus Hebraeus, qui norma est articulorum fidei in *libris Prophetis*, loquitur *singulariter*. Regula igitur ista alibi habet locum, ut & Exod. 32. v. 1. 4. 31.

25. *Antecedens* Enthymematis contra Photinianos, *hyperbolem* hic à Davide adhibitam esse, comminiscens: quasi peccatum homini res quaedam plane naturalis sit: *non autem quod ita sit revera*: qualis figuratus & hyperbolicus loquendi modus etiam Psal. 58. v. 4. & Esa. 48. v. 8. *Antecedens*, inquam, probo. Photiniana namque hic efficta hyperbole non potest stare; Quia 1. Non recedendum est prius à litera, quam Spiritus S. inde deflectat. At Spiritus S. hic non recedit à litera; quia nulla tropi monstrat vestigia. 2. Hyperbole ista pugnat cum scopo Davidis, qui hic est. Precatur ille Deum, ut ipsum abluat multum ab iniquitate, & à peccato mundet v. 3. hoc est, ut omnia & singula peccata, *proprie vereque dicta*, ipsi remittat. Non enim rogat Deum peccatorum veniam, *qua revera peccata non sint*. Argumento inter alia, hoc etiam utitur, *quia sit in peccato conceptus & natus*. Finge jam, hic esse hyperbolem Photinianam, & sustulisti nervum argumenti Davidici. Siquidem ista hyperbole peccati, in ipsa infantis conceptione & generatione obvii, & infantem inhabitantis, tollit *ἀλήθειαν*. 3. Pugnat etiam cum enumeratione, confessione & deploratione peccatorum Davidis. Non enim tantum enumerat, confitetur & deplorat peccata sua actualia praelectiva, ut adulterium, homicidium &c. sed etiam id peccatum, quod tum in ipsa conceptione, tum in ipsa generatione ipsum occupavit. Sicut igitur David peccata actualia verè & proprie intelligit; ita & peccatum originale, quia nusquam Deo confitetur peccatum *fictum & figuratum*.

26. Quod igitur attinet Psalm. 58. v. 4. & Esa. 48. v. 8. Resp. 1. Ex *hypothesi*; si vel maximè ibi esset figuratus & hyperbolicus sermo, an statim sequeretur, quod propterea Psalm. 51. v. 7. etiam talis tropicus esset sermo? Nonne hoc est fallere & falli *particularitatis & paritatis* elencho? 2. Resp. simpliciter: Non est hyperbole in locis citatis; sed Deus verè & proprie ibi describit hominum malorum vitium *etiam* originale, per terminos, operationem aliàs notantes (quem Hebraismum Paulus etiam imitatur, Rom. 5. v. 12.) ostenditque, quale